

AUGUSTUS HAURY

CODICES, NON APPARATVS MODO INSPICIENDOS ESSE

Cum ante hos tres annos *Inuectiuas in Catilinam* non doctissimorum uirorum causa, sed studiosissimi cuiusque antiquitatis ederem, uereri me scripseram ne Albertus Clark non nulla in codicibus quos inuehisset recensendis omisisset neue eos qui *Inuectiuas* postea edidissent in errorem induxisset; me uero nihil amplius affirmare quod taenias codicum tantum, non ipsos codices inspexissem. Stemma igitur a Reis propositum utilitatis potius quam ueritatis causa seruari oportere.

Eadem iterum scribo. Taeniam *Vossiani Latini* 02 perlegi luculentam, obscuriorem *Harleiani* 2682. Alias aliorum codicum inspexi, alias emi necdum legi. Constat igitur Albertum Clark codices quos inuenerit diligenter recensuisse, sed plurima in editione Clarendoniana omisisse, quaedam in codicibus ipsis ne notauisse quidem.

Haec excutiamus quae in *Anecdosis Oxoniensibus* (Class. series 1891, p. 14-21) de *Harleiano* 2682 recensendo scripsit. *Quartam in Catilinam orationem* percensere satis est.

§ 1 queso *inter* immortales *et* deponite *add. b*

§ 4 disserunus (?) *pro* discrimen *b*

§ 9 lenitatem *pro* leuitatem *b, ut V (Voss. Lat. 02)*

§ 14 circa *pro* circum (forum) *b*

reuocatus *pro* reuocatos *b*

ut *inter* quam si *et* coniunctionem *add. b.*

§ 17 opes, *non* opis, *ut* scribit Clark, *pro* operis *b*

§ 18 nurationis *pro* coniurationis *b*

§ 23 sol', *opinor* solus, *non* solius, *ut* censet Clark, *b*

Haec mihi ille non uidisse aut secus legisse uidetur, quoad per obscuriorem hanc taeniam affirmare licet.

Iam locos tres quos omisit *V*, in apparatus suum praeter opinionem non retulit Clark, e.g. notabo:

*Cat.* 1,13: *Quid est, [Catilina? num dubitas id me imperante facere quod iam tua sponte faciebas? Exire ex urbe iubet consul hostem. Interrogas me; num in exsilium? Non iubeo, sed, si me consulis, suadeo. Quid est enim,] Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? ... Quae uncis circumdedi, nulla lacuna omisit V.*

*Ibid.* 1,17: *Et si me meis ciuibus iniuria suspectum [tam grauius atque offensum uiderem, carere me adspectu] ciuium quam infestis omnium oculis conspici mallet. Verba uncis circumdata omisit V. Quos inspexi codices inprimisque h locos hos tres non omiserunt.*

Postremo de *Harleiano* 2682 pauca addam:

*Cat.* 4, 11 pala pro patria h

13 uidisse uideamur pro fuisse uideamur h

15 scribas... uideo [ab amore debitae pecuniae,] ab expectatione sortis h. Vncis circumdata tamquam glossam secluserit Clark.

16 gentium atque imperatorum pro egentium atque imperitorum h. Haec omnia in illa sua recensione notauit Clark, in apparatus referenda non censuit. Sciunt autem omnes codicem hunc h a doctissimo uiro Reis in familiam  $\alpha$ , cuius sunt *CAVa*, postea adscitum esse. Quod mihi, qui quinque codicum taenias, *Vblou*, inspexerim, nondum uidetur constare.

Satis mihi uidetur esse epitoman illam legisse ut constet quid docere uouerim. Si quis tamen plura desiderabit, pauca addam. Omnes editiones non perlegi, nouissimas praesertim. Maximi momenti esse eas duxi quae prelis uel Clarendonianis uel Teubnerianis uel, ut populares meos accusem, Budaeis expressae sint. Si quid peccaui, ueniam peto. Id enim facile, ut spero, obtinebo, codices quam plurimos inspicere oportere. Permulta equidem et in codice *Vossiano* et in codice *Harleiano* h animaduerti quae Albertus Clark in editionem suam non referenda censuit. Quare non censuerit, ipse uiderit. Alii autem fortasse secus fecissent, si codices aut saltem *Anecdota* illa *Oxonienisia* legissent.

Dixerit aliquis: « Quid ista ad scriptum ipsum emendandum profuissent? » Perpaulum fateor. Adeo *Inuectivae* illae celebratae sunt! Haud scio an unus locus desperatus relinquatur, in capitulo sexto *Catilinariae quartae*: *Siue Silani sententiam sequi malueritis, facile me atque uos a crudelitatis uituperatione... atque obtinebo eam multo leniorem fuisse.* Inter *uituperatione* et *atque obtinebo* discrepant inter se codices: *a crudelitatis uituperatione populo Romano Ambrosianus. a crudelitatis uituperatione p.R. Cluniacensis et Vossianus.*

Ceteri, quos quidem nouerim, lacunam explere suo quisque modo conati sunt, cum praesertim uerbum adderent, quod excidisse patet: *defendetis, exsoluitis, eripiam*. Lubricum igitur est aliquid proponere. Hoc utique constare uidetur, Ciceronem crimen illud crudelitatis facile refutaturum esse. Quare in editione mea scripsi: « Locus desperatus. Sensus liquet. » Fortasse aliquis in codice aliquo reperiet unde lacuna haec aliquando expleatur.

Quod autem ad stemma codicum adinet, id maioris momenti arbitror esse. Ego uero codices quatuor, *Vossianum, Oxoniensem, Harleianos* duo in *Catilinaria quarta* contuli, quorum *Harleianorum* alter familiae  $\alpha$ , alter familiae  $\gamma$ , ut *Oxoniensis*, a Reis uindicatur. Quadragies quater *Harleianus* ille *h*, quem Clark repperit, a *Vossiano* discrepare uidetur, congruere cum eo sexies, uicies septies autem cum *Harleiano* altero et *Oxoniensi*. Hanc rationem rudem ualde confiteor esse, ita tamen ut in pristina sententia maneam, contra ac Reis coniecerit, codicem *Harleianum h* a familia  $\alpha$  aliquantum dissidere nec prius in familiam aliquam adscisci posse quam cum pluribus codicibus diligentissime conferatur.